



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Bellegambe è Societate Jesu Theologi,  
Enchiridion Theologo Practicum Tripartitum, De Ivbilæo  
Ecclesiastico**

**Bellegambe, François**

**Coloniæ Agrippinæ, 1700**

Q. 9. Quid, si nequeas ingredi Ecclesiam, v.g. ob concursum hominum?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42093**

R. Videri quòd sic: Tum quia speciales illæ certarum Ecclesiarum designationes, videntur solùm esse factæ ob majorem Diœcesanorum commoditatem. Tum quia advenæ, etiam exiguo tempore in loco publicati Jubilæi commorantes, possunt visitatâ Ecclesiâ illius loci, & peractis alibi cæteris operibus, lucrari Jubilæum; ut dictum est *sect. 2. q. 6.* Ergo & Rusticus ille, & Regularis, pauco tempore existentes extra suam Parochiam, & Monasterium, visitare alias Ecclesias designatas.

Q. 9. *Quid, si nequeas ingredi Ecclesiam, v. g. ob concursum hominum?*

R. Satisfacis visitando extra portam, & ibi orando. Emm. Rodriguez c. 184. n. 6. cum Corduba; Suarez *disp. 52. Sect. 1. n. 7.* Layman c. 3. n. 4. Bonacina *disp. 6. q. 1. pu. 5. n. 26.* Diana p. I. tr. II. R. 103. Lugo *disp. 27. n. 97.* contra Zanardum & alios. Item si ores ad valvas Ecclesiæ clausæ. Et ita practicatur Romæ. Santarel-

ctarellus, Diana, &c. Ratio est: Quia  
& hoc modo diceris moraliter visita-  
re Ecclesiam.

Et, quia Cœmeterium in favora-  
bilibus nomine Ecclesiæ comprehen-  
ditur, ideò etiam absolutè docent  
Suarez; Bonacina, Lezana, Diana p. 5.  
tr. 12. R. 19. &c. sufficere visitare Cœ-  
meterium, & in eo orare. Sed rectè  
monet Layman suprà, extra casum  
necessitatis, semper illud faciendum,  
quod certius & securius est.

Quòd si concessio Indulgentiæ sup-  
ponat ingressum in Ecclesiam, v. g.  
præscribat orationem in tali Capellâ,  
ante tale Altare in templo situm; non  
sufficeret orare foris. Quia licèt dica-  
tur moraliter visitare Ecclesiam, non  
tamen dicitur visitare hoc, aut illud  
Altare. Lugo n. 98. cum Nunno.

Cum autem præscribitur ut visiten-  
tur aliquot in Ecclesiâ Altaria; suffi-  
cit ad illa se orando convertere ex eo-  
dem loco apto, v. g. è medio Ecclesiæ.  
Lugo n. 98. cum Sa v. Indulgentia n. 6.

Vega 2.

162 P. 3. De Jubileo extraordinario.

Vega, Graffio, Azorio, Henriquez, & aliis, & quos afferunt & sequuntur Bonacina n. 25. Diana sup. n. 102.

Quòd si in aliquo templo sint pauciora Altaria, quàm visitari præscribarur: satisfacies, te versus unum illorum saltem inclinando toties, quoties te inclinares, si omnia requisita Altaria adessent, secundùm Dianam *ibid.* referente Gobato n. 131. Simon Pourré p. 2. c. 5. n. 3. cum pluribus aliis.

Q. 10. *Quæ, & quanta requiratur Oratio?*

R. 1. Mentalis absolutè sufficit. Bulla enim solam precationem requirit; qualis est mentalis, quæ solam vocalem præcellit, juxta Hieronymum, ait Navarrus, *Notab.* 32. n. 48. Navarrum sequitur Gobat n. 137. confirmans etiam ex praxi Ecclesiæ non rarò concedentis Indulgentias pro actibus merè internis; item Filliucius n. 257. Trullenck, *De Bullâ Cruciatæ*, & alii, apud Quintanad. *Append. tr.* 1. *dub.*